

Sed cum priori sententiæ aquievisent populi omnes confœderati, concorditer Boidi sententiam amplexi sunt, summa omnium lætitia, atque Deo Opt. Max. Auspice diem indixerunt circa idus maii anni ab Incarnatione millesimi centesimi sexagesimi octavi, quo urbem aratro designarent, atque ita Altissimi præsidio invocato, cæterisque Christianis cærimoniis de more peractis urbis initia posita sunt; quo tempore tanta alacritas, tantusque fœderatorum concursus fuit, ut omnes admirarentur, viderentque Civitatem magnam, & amplam, & virorum multitudine refertam, antequam Civitas ipsa conderetur. De anno autem satis constat, non solum ex veteribus monumentis, verum etiam ex versibus licet plane incultis, & rudibus, qui vulgo decantantur.

Anno milleno centeno terque viceno,

His addas octo fuit Alexandria facta.

Civitate aratro præscripta, ac designata in Quarteria, seu Regionibus divisa in hanc, quæ nunc conspicitur, formam, nulla interjecta mora memorati populi sedes suas, bona, fortunæque omnes huc transtulerunt, deletis prius patriis suis, ut novam patriam splendidiorem, ac illustriorem redderent. Oppida vero, quæ prostratis patriis huc commigrarunt, hæc fuerunt, Gamondium, Marengum, ac Bergolium; nam Roboreto necesse non fuit sedes suas diruere, cum apud illud oppidum reliquas suas sedes collocarent. Cætera autem municipia, vel quia paulo longius distarent, vel quia commode prædia colere posse non existimarent, si patrias suas diruerent, Colonos tantum miserunt, qui novam Civitatem incolerent, quibus aliud ex quatuor Quarteriis, quod magis liberet, est tributum. Non defuerunt aliqua municipia insignis aliquin nominis, utpote Boschum municipium antiquum, & præstans, & Porta nova, quæ ad famam novæ Civitatis ad ipsam accederent, ampliarentque quammaxime Civitatem omnibus commodis. Quæ de re novæ urbis conditores beneficiorum memores, eosdem honorificentissimo decreto in cives cooptarunt, & adsciverunt; quod in libro Crucis religiose observatur. Sed antequam ulterius progrediar, nobis necessario scribenda sunt non pauca de vetustate prædictorum locorum eo ordine, quo leges nostræ municipales instituerunt, ut intelligant omnes, a quibus originem habeat patria hæc nostra, & quam antiqua sit.

Constat in Liguria hæc octo populorum territoria contineri, utpote quæ ad septentrionem non solum ad flumen Padi se porrigat, verum etiam Ticinensem civitatem comprehendat, Paulo Diacono auctore. Quare quidquid continent territoria memorata, omne solum Ligusticum est; quod vetustate, fertilitate, & rerum omnium abundantia reliquos Liguriæ agros facile vincat, inter quæ Gamondium (ita prisca Ligurum lingua appellatum). Ad meridiem vergit oppidum alias muro, fossaque munitum, agri vero solum rerum omnium copia nulli secundum, quod perpetuis temporibus aluit populum ferocem armis, & invictum bellis, & olim longe, lateque vicos, oppidaque circumvicina complectens. Hoc fere diruunt; ex hujus ruina adeo

excrescit Civitas nostra, ut plane admirarentur omnes: urbe vero condita tantum populi in relicto loco succrevit, ut existimare merito potuissent, inde neminem venisse, qui Alexandriam ædificarint, Merula teste.

Hic non est omittendum Merulam existimasse Gamondium, & Castellatium duo diversa oppida fuisse, qua in re longe falli dicendum est, cum fuerit Gamondium idem quod Castellatium, quamquam (postquam sedes, juraque omnia sacra, & prophana Alexandriam Gamondienfes transtulerunt) alii successerint, qui Gamondium reædificaverint, soli fœcunditate pellecti; oppidumque non ut prius Gamondium, sed Castellatium, quasi Castellum magnum appellaverunt. Non enim mihi rem diutius exploranti, remque præsentem invisenti in mentem venire potuit, ubi nam situm esset Gamondium, ni ingenue fateamur Castellatium in Gamondii locum instauratum, aliter Castellatiani, qui opimiozem partem urbis condiderunt, nil juris in Civitate haberent, nisi Castellatiani Gamondienfes essent. Credo equidem Gamondium Longobardorum habitatione locupletatum fuisse, si quidem cum veteres scripturas perquirerem in æde D. Martini, in sacrario reperi quoddam documentum Longobardico instituto conscriptum, in quo mentio multa fit nominum, & familiarum Longobardicam linguam resonantia; quidquid sit illud pro comperto est Castellatium in maximum oppidum excrevisse ex nova Colonorum habitatione, habuitque semper postea viros domi, forisque præstantes, qui non Castellatio solum, verum etiam Alexandriæ summo honori, & usui fuerunt, de quibus quantum pro vetustate potero, mentionem suo loco habebo. Castellatiani Templum illustria in urbe nostra condiderunt: sanctum Martinum, in quo fratres Heremitani Augustinianæ familiæ, *Observantes* dicti, religiose commorantur, & a quibus satis amplis facultatibus, & commodis sunt locupletati; alias Conventuales erant, qui inibi sacris peragendis addicebantur. Ad hæc Parochiam S. Mariæ della Corte construxerunt, in qua Collegium Canonicorum, scilicet Præpositus cum quatuor Canonicis, qui divina celebrarent, honesto addito patrimonio erectum fuit; quæ cum diruta, & nondum perfecta forent anteriorum Præpositorum incuria, Joannes Baptista Rizzanus modernus illius Ecclesiæ Præpositus re composita cum aliis Canonicis, de suo etiam collato aere, in meliorem formam restitui curavit anno 1580., sed nulla alia antiquitatum vestigia in dicto oppido reperiuntur.

His proximum est Marengum oppidum, & ipsum antiquum, de quo mentionem facit Plinius lib. III. Nat. Hist. cap. 17. dicens: *Ticinum conditum fuisse a Levibus, & Maricis non procul a Pado flumine*, & satis constat hoc unum ex octo oppidis fuisse, quod Alexandriam condiderit, maximumque incrementum dederit, Marengumque Ligustica voce appellatum, sive id acciderit sono naturali Ligustico, in quam sententiam & ipse, Bernardus Saccus de rerum Italicarum varietate cap. 9. accedit, dum asserit quamvis mendose locum Plinii lib. III. sub regione undecima Maricos Tanari accolæ fuisse, quorum antiquum oppidum non procul abfuit a